



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XXI. Servi hominum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XX. SERPENTES.

§. I.

De serpente Paradisi.

Quia hoc fecisti, maledictus es inter omnia animantia. Gen. 3. 14. Fortè dixerit aliquis: cum diabolus serpentis operâ usum, malum atulit consilium; cur bestia illi poena infligitur? Est & hoc ineffabilis Dei misericordiæ opus; nam sicut clementissimus pater puniens eum, qui filium suum occiderit & gladium, & enssem, per quæ filius suus occisus, destruit, & in multas partes dividit, Eodem modo Deus egit: quippe serpens, quasi gladius quidam, diabolica servivit malitiâ; unde & perpetua ipsi poena intentata est. S. Chrysostr. hom. 17. in Gen.

Quia serpens quoque illi (homini) familiaris erat, ut qui præ cæteris animantibus ad eum accederet, blandisque motibus cum eo velut colloqueretur. Ex quo etiam factum est; ut ille, mali omnis author diabolus ipsius operâ uteretur, cum sceleratissimum facinus primigenis parentibus suaderet. S. Joan. Damasc. l. 2. orthodox. fid. c. 10.

Cur diabolus non in forma minus horribili, quam serpentis, hominem tentavit? R. hoc non illius electione, sed divinâ providentiâ, fuisse dispositum: ut scilicet homo tam foedo animali dedignaretur fidem potiùs adhibere, quam Deo; & ut, post lapsum, majorem pudoris, & confusionis, haberet occasionem; quod, contra infalli-

bile Dei verbum, tam vili animali crediderit. Diez conc. 3. D. 5. Epiph.

§. II.

De aliis serpentibus.

Serpentium vivida virtus hybernò tempore mortificatur; ac menses sex in cavernis delitescunt penitus immobiles. Cum autem statutum tempus advenerit, & tonitrua in Mundo exaudita fuerint; quasi quoddam signum fragorem accipientes, celeriter exiliunt, & longò intervallò consueti agunt. S. Gregor. Nyss. or. 3. de Christi resurr.

Ex quo tempore vipera Sanctam S. Pauli manum invadere ausa fuit, omnia animantia venenifera venenum innoxium in illa insula habent. Nierembergius l. 2. de mirac. nat. Europæ c. 64.

Miramam Hibernia benedictionem accepit à S. Patrio, ejectione inde baculò (qui Christi fuisse creditur) omnibus venenatis reptilibus: nec tolerat quidem ejusmodi animalia, etiam aliunde allata. Et omnia ferè, quæ insula illa pro gignit, efficax sunt antidotum contra venena. Caret serpentibus, & colubris, bufonibus, & ranis, scorpionibus, draconibus. Habet tamen araneas, sanguisugas, lacertas; sed prorsus innocuas. Terra adeo inimica veneno; ut, si aliarum regionum, seu viridaria, seu qualibet alia loca, pulvere ipsius aspergantur; venenosos inde vermes procul exterminet. Nierembergius ib. c. 62.

TITULUS XXI. SERVI Hominum.

§. I.

Non serviant ad peccatum.

Noluerunt servi regis extendere manus suas in Sacerdotes Domini. 1. Reg. 22. 17. Timentes Deum reverterunt parere tam iniquo mandato; dando exemplum ministris principum. Cajetanus hic.

Dico huic: vade, & vadit. Matth. 8. 9. Si jufferit, ut innocentem occidat miles; ibit miles? ibit. Si servo præceperit, ut faciat rem illicitam; faciet? ita. An, quia Absolon servis præcepit ignem mittere in Joabi segetem, 2. Reg. 14. 30. ideo manserunt immunes à culpa? Joab, exponendo Uriam innocentem periculo peccavit. 2. Reg. 11. 16. Alvarez in Gen. 44. 2.

Et ministri Judæorum &c. Joan. 18. 12. Iniquis præceptoribus, aut dominis, obsequentes, iniqui censendi sunt; cum jussa iniqua perficiunt: & eò iniquiores, quò paratiores ad malum. Sim. Cass. l. 13. hic.

Polyanth. Sacra, Tom. II.

§. II.

Servi boni, fideles, &c.

A facie Sarai domine meæ ego fugio &c. Gen. 16. 8. Vide, quomodo non negat dominam; sed confitetur verè omnia. Non est, inquit, homo, qui interroget, ut possit, decipere. Primum dixit nomen meum, & dominæ meæ meministi; congruum est, ut & ego vera dicam. *A facie Sarai &c.* Vide, quomodo citra odium meminit dominæ. Non dixit malè afflixit; non dixit, gravia mihi fecit; non possum ferre molestiam ejus, & ideo fugam inii: nihil asperum locuta est; sed solum se ipsam ut fugitivam accusavit. S. Chrysostr. hom. 38. in Gen. *A facie domine meæ.* Mirum est, quod non dixerit vetula illius, Hugo Card.

Non videbo morientem puerum. Gen. 21. 16. O potentiam lacrymarum! Licet rea Agar, & relapsa, Deique jussu in exilium acta; tamen ut flevit, Angelorum non alloquió solum, sed

M m m

sed

fed & ministeriò, recreatur: Ne diutius sitiret, aquæ puteum indicavit ei Dominus, vel etiam elicit. Quam felicior in exilio serva, quam domi herus: nam Abraham juxta tabernaculum suum ministrat angelis, Gen. 18. 2. Agari autem in solitudine ab angelis ministratur. Oliva l. 11. Strom. §. Non videbo morientem.

Omniem pecuniam congregavit. & *intulit eam in ararium regis.* Gen. 47. 14. Ad laudem ejus spectat; qui è filio regio nè obolum quidem abstulerit; & opus perquam rarum. Velloso in Judith 7. Paran. 16.

Et tu nôsti, quia servus tuus fuit timens Dominum. 4. Reg. 4. 1. O tempora planè aurea; quando ad flecendos dominos, ut pupillorum misererentur, & viduas alienò ære exolverent; satis erat, commemorare defanctorum servorum, non in dominos merita, sed erga Deum cultum, & timorem. En mulier, ut Elisæum moveat, non dicit: en vir meus tot adiit pro te pericula, tot tibi servivit annis; sed, *fuit timens Dominum.* Hoc enim in servis suis attendebat Elisæus: non enim ab aliis certior reddi volebat, quòd servi timerent Deum; sed hoc ipse exquirebat, & nôrat. Nunc verò domini sciunt optimè, & indagant, servorum genus, avos, patriam, artem; hòc unò exceptò, an timeant Deum? Quidvis in servo examinas præter conscientiam. Oliva l. 10. Strom. §. Et tu nôsti.

Vis, imus, & colligimus ea. Math. 13. 28. Fideles servi illi patrisfamilias: de agro expurgando satagunt, nè quid pereat è rebus domini: non expectant justa; ultrò se ad labores offerunt; nec pretium petunt. Velloso in Judith 7. Paran. 16.

Servus ille qui *abscondit pecuniam Domini sui.* Matth. 25. 18. Male audit v. 26. *serve male, & piger;* nihil de lucro domini satagebat. Quid si pecuniam prodegisset. Idem ibid.

Jam autem eò descendente servi occurrerunt ei. Joan. 4. 51. Servi solliciti circa filii languorem, patrisque dolorem, nuntiant filii convalescentiam; ut patris molestia mitigetur. Optima servorum conditio, cum Dominorum satagunt removere dolorem. Sim, Cass. l. 5. c. 18.

Optimus ille tuus minister est, qui non hoc à te audire desiderat, quod ipse voluerit; sed hoc velle, quod à te audiet. S. Anselmus lib. de mensuratione Crucis.

Bonum servum pingebant Egyptii, undique manibus, & oculis plenum; ut ad nutus domini sui vigil, totus oculus, totus Argus, videretur: & ad exequendum, quidquid ei jussum, totus manus foret. Linguam sub pedibus tenebat: tum, ut verbis parcus esset; tum, nè ad excusationes linguosus. Alvarez Illustr. 89.

§. III.

Servi mali, pigri.

HAbens ancillam Egyptiam nomine Agar. Gen. 16. 1. Servi, & ancillæ, arceantur ab otio: quòd morbo laborasse legitur ancilla Saræ; quæ vel ipsò nomine ignaviam, &

otium, præferbat: Agar enim, ut quibusdam placet, vertitur *somnians sessa*. Fernandus in Gen. 2. sect. 1.

§. IV.

Erga servos herorum obligatio.

Num. I.

Merces.

PEtierunt ab Egyptiis vasa argentea & aurea. Ex. 12. 35. Duro opere lateris afflictus Hebræus Ex. 1. 11. 14. nihil inde iis datum mercedis: ideo, Deò rerum dominò, felerumque censore, abstulit Hebræus ab Egypto aurum, & argentum, & supellestem reliquam, nè quis eos furti reos cenfeat. Tertull. l. 2. contra Marcion. c. 2. qui villas & urbes, operati fuerant Egyptiis, digni utique mercede operarii; non ad fraudem sunt insincti, sed ad mercedis compensationem; quam aliàs à dominatoribus non poterant exigere. Velloso in Judith 2. Paran. 17.

Quid pro hac fide honoris, ac præmii, Mardocheus consecutus est? dixerunt ei servi illius, ac ministri: nihil omnino mercedis accepit. Esth. 6. 3. Assverus erubuit; pertæsus plurimum, quòd suo in regno viveret, nullà mercede; qui ipsum tantò periculo eripuisset. Ideo mox, correcturus ingratum animum, jubet Hebræum triumphare in civitate. Scribantur caractere aureò actiones præclaræ subditorum, & ministrorum; scribantur eorum incommoda, & pericula, itinera, detrimenta valetudinis, rei familiaris, libertatis, patriæ, oblectationum. Si hæc omnia in Diariis scriberentur, & legerentur tempore à negotiis vacuò; Mardochei multi, qui jacent ad limina conculcati, obnoxii Amanorum insidiis; donarentur supremis honoribus. Sed, quia facta præclara in aqua scribuntur; ideo adulatores triumphant; & bene meriti cruciantur. Conservantur in tabulis reorum crimina, signata caractere publico; nec unum foliolum reperitur, in quo notentur vel apice sudores uberes laborantium pro bono communi, aut domini sui. Oliva t. 3. conc. 5. hebd. 1. Quadr.

Qui effudit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Eccl. 34. 27. Si vobis, divites tam durum accidit, aliena restituere; quàm longè difficilius erit illis, eò, quòd proprium habent, defraudari? Segneri l. ii die ven. D. 3. Quadr.

Voca operario; & redde illis mercedem. Matth. 20. 8. Non sperent Domini in ministris mercedis incuriam, quam in Evangelio non exigit paterfamilias; quem Christus, ut imaginem regiminis sui, describi voluit. *Conventione facta.* Displicet nobis, quòd Christo placuit? detestamur spem mercedis in servis; quam Deus in suis non solum tolerat, sed etiam offert. Oliva t. 2. conc. 27. 2. die Ven. Quadr.

Num. II.

Servorum habenda cura.

Ferunt que ei. asini, & servi, & famule. Gen. 12. 16. Nulla in domo divitum boum à famulis segregatio: unò censentur elenchò asinæ & fa-

& famulæ; imò hæc illis postponuntur. Oliva fer. 5. Dom. 2. Quadr.

Proiecit mandibulam de manu. Judic. 15. 17. En, quò deveniunt instrumenta principum: ut iis fuerint usæ, ea plerique projiciunt. Samsón mandibulam nec aurò inclusit, nec gemmis ornavit, nec thecà inclusit, nec è tholo suspendit; sed proiecit. Oliva 9. Strom. §. nolite confidere in principibus.

Constituit ei Rex annonam - de cibis suis. Dan. 1. 5. Discamus curam agere servorum. Oliva l. 1. Strom. hic.

Puer meus jacet. Matth. 8. 6. Quid in mentis abdito dignum volvens centurio iste ajebat? mihi hic servus est, & ego Creatoris. Ille me super terram; & ego magnum in cælis habeo Dominum. Si ergo ejus noa misereor; quomodo ille mei miserebitur? Si ego huic non subvenio; quomodo ille mihi subveniet? Sic debent omnes, qui famulos, & famulas, habent, cogitare; sic misereri, & condolere eis, supplicare, & curam habere de servis, vel de ancillis suis; sicut ille beatus Centurio fecit. Origenes hom. 5. in diversos.

Qui illi erat pretiosus. Luc. 7. 2. Author Imp. hom. 22. Centurio iste, inter servum, & dominum, nullam differentiam æstimabat: sciens, quoniam, etsi dignitas in hoc sæculo diversa sit inter eos; una est tamen natura illis: ideo magis Dei naturam honorabat in homine, quàm opus captivitatis contemnebat in servo. Secundùm dilectionem Domini mensurate fidem servi: nec enim possibile erat, ut, sinè pretiò bonorum morum, tantam sibi dilectionem Domini comparasset. Idem ibid.

Noli dicere: ego cibum, & potum, eis præbeo; debita eis stipendia solvo: de animabus suis ipsi viderint, non sum Episcopus, non sum Prælatum: nam pro eis Domino tuo, & illorum communi, in die Judicii magnam redditurus es rationem. S. Thom. Vill. tr. de Adv. Domini.

§. V.

Servi inscripti caractere Domini.

Ego stigmata Domini JESU in corpore meo porto. Gal. 6. 17. Cajetanus: ad similitudinem servorum, gestantium in facie impressam notam dominorum, inuisione fieri factam; describit S. Paulus, se portare manifestè in corpore suo non unam, sed multas impressas notas Domini JESU. Hoc est manifestum signum, quòd sum servus D. JESU.

Caractere domini inscribuntur & servuli;

& nomine Imperatoris signantur milites. Sanct. Ambros. de obitu Valentini Imp.

Servi domini sui nomen, aut stigma, inustum in corpore, ac præsertim in fronte, gestabant, teste Rhodiginò l. 5. c. 31. Et inde inscripti, vel Literati, servi dicti.

§. VI.

Servitus foeda.

Nè serviatis Hebrais. 1. Reg. 4. 9. Plurimi vitam, quàm libertatem, perdere maluerunt. Mendoza in 1. Reg. 4. 9.

Melius est, ut viventes serviamus. Judith 3. 2. Sciebat, servitatem, & extremis hominibus foedam esse, qui Hebræum fame pressum gravi, servire non est passus ad septennium usque. Ex 21. 2. *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi.* Tempus utcunq; tolerandæ signat Moyses, nè ad septennium usque proferatur. Quòd si Hebræus manumissus libertatem abnueret, magnò domini deceptus amore. Ex. 21. 6. *applicabitur ad ostium, perforabitque aurem eius subulà; & erit ei servus in sæculum.* Multæ sunt notæ, quibus Moyses premit foetidum hominem: utpote qui servire malit, quàm vità frui liberà. Cur enim ad postes exponitur? Theodoretus q. 46. ut intelligat: nè limen quidem egredi licere invitò dominò. Subulà auris perforatur; in dedecus ejus, qui, libertate postposità, servitatem amplectitur, signum hoc jubetur accipere, &c. Rupertus l. 3. in Ex. c. 35. Ut semel dictæ professionis suæ delere, vel abscondere, non possit monumentum. Addo ego: moneri servum aere perforatà; meminerit, se vel auribus trahendum esse, in quascunq; dominus partes voluerit. Velloso in Judith 3. Paræn. 2.

Ferrum pertransit animam ejus. Pf. 104. 18. Sed quomodo ferri vis animum hominis pervadat? S. Ambros. Oct. 12. in Pf. 118. quæ potuit nobilis profapia puero gravior esse tentatio, quàm ut tantò familiæ splendore dejectus, serviret apud Ægyptios. Id. ib. Apud Velloso in Judith 3. Paræn. 2.

§. VII.

Miscellanea.

Magna consolatio ancillarum, quòd Mater Dei, Angelorum regina, Domina totius creaturæ, se vocarit ancillam. Luc. 1. 38. B. Humbertus f. 98. ad famulas divitum.

Dictus est servus à servando: quia victis hostibus capti servabantur ad vitam. S. Thom. Aqu. in Gen. c. 9.

